

† R. P. Petrus Stirpe (1880-1944)

(Prov. Sic.)

Eodem anno ac P. Addrizza, et in eadem insula Sicilia obiit P. Stirpe, ex eadem provincia Frosinone oriundus. Verulis natus est 28 Iun. 1880, et vicina domus nostra Scifelli cum Seminario nostro minore eum allexit ad nostrum Institutum. Absolutis ibi cum laude studiis gymnasialibus, sacra vota Romae emisit 29 Sept. 1899. Dein Cortonam petuit ad animum altioribus scientiis ditandum. Sacerdos factus 4 Dec. 1904, firmiter sibi proposuit: Ad exemplum mei Patris S. Alfonsi volo totum et semper me consecrare, ope sanctorum missionum, promovendae gloriae Dei et saluti animarum maxime derelictarum.

Campus a Providentia eius zelo apostolico adsignatus fuit Sicilia, quam sincero amore prosequebatur et cui per 37 annos, a Decembri mense a. 1905 ad Maium 1942, cunctas suas vires indefesso labore dedicavit. Illa periodo in Trinacria non habebatur missio ligorina, quam P. Stirpe non participaret, passim in se suscipiens operam difficiliorrem, videlicet magnam contionem vespertinam; dotatus quippe erat voce robusta, virili, sonora, clara, neque unquam deviabat a via, quam S. Alfonsus suis missionalibus praescripsit.

Eidem P. Stirpe supremus Instituti Moderator multoties commisit regimen variorum collegiorum et annis 1921-30 totius Vice-Provinciae gubernationem. Quo securius noster in Sicilia apostolatus perennaretur per



Patres Siculos, P. Stirpe statim a. 1921 Agrigenti condidit peculiarem iuvenatum, qui a. 1933 ad ampliorem sedem Castroreale translatus est.

Decennio ante obitum defectus cardiacus in confratre apparere coepit, quem tamen, proh dolor, parum curabat, pergens ardenti sua praedicatione peccatores induratos emollire et filios prodigos ad Patris caelestis pedes reducere, donec vires eum plane deficerent. Ultimum praedicavit Agrigenti in Basilica S. Francisci mense Maio 1942.

Christus concessit suo apostolo alios duos annos cum dimidio passionis. «Habui iam hic meum purgatorium», dixit ipse paulo ante finem; sed certe etiam hoc tempore apostolatum, et efficaciorem quidem, exercuit. Patiebatur cum patientia, immo cum quadam hilaritate, et manebat semper missionarius. Sic fratrem germanum, ducem exercitus (*Generale di Divisione*), eiusque familiam in ultimis suis litteris exhortabatur, ne unquam obliviscerentur «unum necessarium», aeternam animae propriae salutem. Repetebat saepe: «Quam bonus fuit Dominus erga me, praesertim eo quod mihi donavit perseverantiam in vocatione!» Confratribus iterato gratias agebat eosque solabatur, qui ad eius lectum flebant.

Vespere 25 Decembris 1944 cum insigni pietate recepit morientium sacramenta, respondens ad preces liturgicas et Crucifixi effigiem deosculans. Circumdatuſ suis dilectis confratribus insequenti festo Discipuli quem Iesus diligebat h. 15 in osculo Domini exspiravit. Funnus fuit solemnissimum, immo quaedam apotheosis, evidens signum magnae veneracionis Agrigentinorum erga P. Petrum Stirpe. R. I. P.¹.